Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26334
Copyright: Admont, Benediktinerstift

ta ipsorum et fide et ingenio episcopus ad populum uerbum facit. Deinde eis uidente populo ab ipso traditur codex diuinarum lectionum, et dicitur eis: Accipite et estote uerbi dei relatores, habituri si fideliter et utiliter impleueritis officium, potestatem cum his qui uerbum dei ministrauerunt. Ex hinc ergo potestatem habent in ecclesia coram populo prophetias et apostolicas lectiones recitandi. Hi quidem qui ad hunc gradum promouentur litterarum scientia debent esse instructi, ut eorum que legunt sensum intelligant, in pronuntiatione uim accentuum agnoscant, distincte legant ne confusione pronuntiationis intellectum auditoribus tollant. Considerent quid sit indicatiue legendum, quod sub interrogatione pronuntiandum, ubi sit in oratione distinctio facienda uel distinctio media, quia hec male seruata intellectum perturbant et grammaticorum typhum gerentes ad irrisionem prouocant. Vox lectoris auribus et cordi consulere debet non oculis, ne motu uel gestu indisciplinato spectatores magis ex se ipso faciat quam auditores, eque effractum et femineum quam agrestem et rusticum sonum deuitans. Lectores olim precones uel proclamatores uocabantur, quia in populo uocem faciunt. Hoc officium dominus in propria persona ostendit, quando in medio seniorum librum Ysaie prophete aperiens distincte ad intelligendum legit: Spiritus domini super me, euangelizare pauperibus misit me.

Ex quo lectoribus intelligi datur quia gratia spirituali clarere debent, qui populo uerbum dei adnuntiant.

Tercio loco DE EXORCISTIS.

Sequitur ordo exorcistarum qui super cathecuminos faciunt sacramentum apertionis, et habent spirituale imperium super inmundos spiritus, ut eos de corporibus obsessis eiciant. Debet autem habere spiritum mundum qui spiritibus inmundis imperat, ut uita ab officio non discordet, et malignum quem per acceptum officium expellit de corpore alieno, per mundiciam uite expellat de corde suo. Hi cum ordinantur accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, et dicitur eis: Accipite et memorie commendate, et habetote potestatem imponendi manus super energuminos siue cathecuminos. Exorciste in ordine et ministerio ecclesie constituti sunt secundum officia que in templo Salomonis erant disposita, queque posterius sunt ab Hesdra disposita. Leguntur enim sub Hesdra fuisse auctores templi filii seruorum Salomonis, qui actum templi totum sub cura sua haberent aut sacris oblationibus deseruirent. Et cum fuissent ex ordine et ministerio templi, longe tamen fuerunt ab officio altaris dei. Neque enim psalmistis, id est cantoribus, nec hostiariis, nec sacrorum seruis attingere licebat ad ministeria altaris, nisi tantummodo leuitis. Quasi ergo auctores quidam spirituales templi dei exorciste sunt in populo dei, qui de substantia domini sui sibi in donis spiritualibus tradita in spiritualibus edificiis dilapsa restituant et reparent dissipata. Exorcistas significat apostolus cum dicit: Numquid omnes donationes habent sanitatum?